

DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,
CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS,
manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis, decimâ-octavâ mensis Martii, anno Domini M. DCC. XLV.

M. GABRIELE-ANTONIO JACQUES,
Doctore Medico, Præside.

An Aër frigidus & siccus Salubrior?

I.


RTIS Medicæ pars ad servandam sanitatem dicata ὑγιεινὴς nomine insignitur. ὑγιεινὴς summa laus esto. Sæpè sæpiùs propter in vitæ normâ erratum ægrotamus. Sanitas amissa, vix, vel cum tempore, nec sine fastidio restituitur. Consideranda nobis igitur ea veniunt de quorum usu legitimo hæc scientia tractat. Res non natu-

rales vulgò vocantur, eò quòd humani corporis naturam (compositionem puta) non ingrediantur. Inter illa haud infimum tenet locum Aër, ſpiritus vitæ non ineptè dictus. Qui verò dotibus ad ſanitatem conſervandam magis eſt prædituṡ, is eligatur.

I I.

SANITAS in functionum integritate poſita eſt. Dum adeſt, actiones homini propriæ facilè, jucundè & cum quâdam conſtantiâ fiunt. Sanitas à determinatâ mobilitate partium, tàm firmarum quàm fluidarum pendet, & ſenſim mechanicâ molis humanæ compage in dies deteritur. Sanitatem etiam deſtruit abuſus rerum non naturalium, quibus non tàm Utimur quàm Abutimur. Inter hæc, injuriæ & viciſſitudines Aëris, non leviori damno corpus afficiunt. Qui minores noxas ſecum infert Aër, is aliis omnibus ſalubrior cenſendus.

I I I.

LIQUIDI moles illa corpus noſtrum ambiens, quam inſpiratu ducimus, Aëris nomine intelligenda venit. Nullum in hâc ſenſili rerum naturâ fluidum virtutis efficaciâ præſtantiùs quàm Aër. Pondere hic & elaterio pollet maximè, nos premit undique circumfuſus, ac diverſimodè pro ſui conditione laxat, emollit, denſat, conſtringit. Indeſinenter inſpiratus Aër pulmones permeat & totum corpus ſanguini immixtus. Sanitatis indè & morborum opportunus Author, ſi plus aut minus vapore gravior & ſordibus inquinatior ſeſe in corpus inferat. Inter omnes Aëris ſpecies diverſas ſenſibiles, Aërem frigidum & ſiccum præ cæteris tibi eligendum credas, utpote qui minores noxas infert; & à quò præterea Corporis functiones ab eo pendentes ad amuſſim peraguntur.

I V.

BONA reſpiratio, inſenſilis perſpiratio laudabilis, functiones in nobis ab Aëre præſertim pendentes. Utramque faciliùs in Aëre frigido & ſicco peragi docet natura; his enim dotibus Aër præditus ſuo liberè gaudet elaterio; unde pulmonis explicatio facilior, in ipſis vaſis contenti ſanguinis diviſio major, conquaſſatio, tritus fortior. Ex pulmonibus in ſiniſtrum cordis ventriculum, & à cordè

per Aortam in omnes corporis partes sanguinis ejusdem validior impulsus, expeditior circuitus; & ab his omnibus vita, motus & secretiones dependent omnes. Quod ad insensilem spectat perspirationem, audi Sanctorium: » Aër frigidus, lavacra frigida, corpora » robusta calefaciunt, eaque auferendo superfluum, reddunt leviora. Idem paulò infrà: » in Aëre frigido salubri, (id est sicco) prohi- » betur quidem perspiratio, densantur meatus, sed roborantur fibræ, & perspirabilis retenti pondus, nec lædit, nec sentitur. De aëribus quoque sermonem faciens divinus Senex, frigidum & siccum Aërem his commendat verbis: Tempestates, inquit, Aquiloniæ quidem solida reddunt corpora, tùm etiam firma & ad motum expedita, & benè colorata.

V.

A Peculiari quidem structurâ solidæ corporis partes habent ut influxu fluidi dimoveantur ab axe: habent etiam ut resiliant ab Aëre pro diversâ ac variâ ejus naturâ. Aër calidus, humidissima Oculorum, Narium, Aurium, Oris, asperæ Arteriæ dissipat, Vascula exsiccat, Pulmonis cruorem magis cogit; utrâque causâ Pulmonis actionem impedit; multos morbos inde oriundos excitat; humores semper tenuiores aufert; dissipat mobiliora, lentiora aggregat, compingit, exsiccat; ergo partes aquosas, spirituosas, salinas, volatiles, assiduò diminuit: contra verò salina fixiora, olea crassa & tenacia, aëria exusta, tum terrestria fixa auget, congerit, in massas irresolubiles unit. Hinc itaque immeabilitas humorum, simul elongatio & debilitatio solidorum, & quæ inde sequuntur obstructio, exsiccatio, coctio læsa & impedita. » In Aëre calido corpus est minoris roboris » tùm quia perspiratione exhalat aliquid bonorum spirituum, tùm » quia calor non est concentratus «. Si Aër sit humidus, laxat, solvit, debilitat, fibras in primis pulmonis, serum ipsius retinet, auget, accumulat: perspirationem à pulmone prohibet. Aër Austrinus omnium pessimus » Austri cum suis collateralibus, inquit Hippocrates, » calidi sunt & humidi, nubium & pluviarum parentes. Idem Austri- » næ tempestates corpora planè resolvunt & humidiora reddunt, tùnc » etiam auditus graves, & capitis gravitates, vertigines inducunt » tenebricosas, tum ipsis oculis totique corpori in movendo difficul- » tatem afferunt, alvumque humidam reddunt «. Itaque Aër calidus, Aër humidus nocumenta habent quam plurima. Utrumque igitur prudens caveas. Audiamus nunc Boërhaave: » Aër purus, inquit,

Sanctor. Static.

Aphor. Lib. 3.

Ibid.

De Diætâ

ad longævitatem. » Campeſtris, Montanus, frigidior, laudatur præ cæteris; naturæ Corporis quia magis conveniens. Neſtoreos annos attingunt ſoli Borealium plagarum accolæ Zelandi. Contrà vix ſenectutem ſalutant Meridionalium regionum habitatores. Unde rectè concluditur;

Ergò Aër frigidus & ſiccus ſalubrior.

Proponebat Pariſiis, LUDOVICUS-GABRIEL DUPRE', Remenſis, Saluberrimæ Facultatis Pariſienſis Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1745, à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1745.